

Bibliothèque numérique

medic@

**Beauvais de Préau, Charles-Nicolas -
candidat / Gilles, Jean-Joseph -
président / M. Vieillard - auteur. - An
Senium à fibrarum rigiditate ?**

1784.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°111***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0111](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0111)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU. Santé.
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis secundâ mensis
Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXIV,

M. JOANNE-JOSEPHO GILLES, Doctore Medico, Præfide.

An Senium à fibrarum rigiditate?

I.

QUÆ innumeris propè & delicatioribus machinis conflata fuit machina, æternùm durare nec debuit, nec potuit. Certas passa mutationes, labitur sensim, deteritur, & frustra quis ab eâ motus repeteret, quos antea tam miro exerceri ordine deprehendebat: ampliùs moveri nescia, ultimum sui tandem patitur detrimentum. Ejusmodi indolis & naturæ est humanum corpus, seu imensa illa solidorum & fluidorum compages, quâ constamus. Hanc mirari & obstupescere satius quàm describere, judicamus. Flexilis initio, tenerrima, incrementi capax & detrimenti, prima duo durationis suæ exercet tyrocinia,

* Autore M^o VIEILLARD, 1739.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

nutritur, vegetat, crescit, donec incrementi sui *auxilium* adepta, suo quasi præludat victima funeri. Vix enim quis ætatis hujuscæ volatilis cœpit degustare delicias, ut citò mutari omnia, labascere, & ruere in pejus animadvertit. Vanescit hilaris & expeditus corporis habitus, adest molesta & tarda sese movendi difficultas. Vultus olim lævis, purpureisque distinctus coloribus, jam livescit, rugis inficitur. Videas igne non indecoro lascivientes nuper oculos tenebrosâ obvolutos caligine; quæ olim membra avidè luxuriabant, en feriare amant & quiescere. Pluunt è capite capilli, aut si ipsis, sæva minùs, fati necessitas aliquando pepercerit, posito quem à naturâ acceperant, colore, canitiem induunt; claram vocem & sonoram fugat malè distincta vox & tremula. Quæ jucundè & alacriter exercebantur corporis functiones, nonnisi difficulter fiunt. Ruunt affatim oblectamenti cujuscunque fastidium, magna & inordinata garriendi prurigo, frequentior idearum infantilium caterva, gravissima præteritorum obliteration, tussis importuna, vix ulli ferenda sputatio, respiratio difficilis, cita, anhelosa. Enumerabo innumera alia morborum genera, quæ in senectutem, tanquam ex jugi fonte emanare, non sinè summo doloris sensu videntur? Tantorum causam malorum quæris anxius? Desine hanc ulterius scrutari. Attende ad ea quæ in corpore singulis ætatibus geruntur, tumque in omnibus aliis liberum esse liquoribus per vasa transitum videris, dùm ipsis in senio tam desideratum hoc iter occluditur.

I I.

PERSEVERANTE æquabili, fluidorum per vasa motu & impetu, horumque debito in illa renixu, stat perfecta sanitas. Læso alterutro jam morbus ingruit; undè, quâ proportionè hoc vel illud magis læditur, eò gravior morbus. Et quisquam senectutem morborum omnium omnino maximum esse negaverit? Qui quondam à cerebro abundè secernebatur, & uno tenore in totum corporis habitum impellebatur succus nerveus, hujus glandulæ ferè viam oblitus in senio, debitâ sui copiâ corpus privat universum; hinc debilitas summa. Imminutâ vasorum in fluida actione, succi nutritii solitò minùs elaboratur; hinc imminuta, aut potius ferè nulla in extremis nutritio; hinc decrescit musculorum moles, hinc fit cutis laxior, hinc rugis exaratur corpus. Dolemus exules è capite capillos? Hos quoque fugavit nutrimenti defectus. Nempè obturatis vaiculis capillorum vasa majora componentibus, hæc brevi obturantur, ita ut ad ipsa usque pervenire lymphæ nullatenus potest; hinc crines ruere citò necesse est. Neque ita stupendum, rubros olim, albescere. Neminem enim, vel tantillum rebus physiologicis instructum, latet in crinibus vasa duplicis esse generis, lymphatica scilicet & sanguifera. Illa lympham tantummodò, hæc globulos rubros sero innatantes admittunt. Cùm ergo hæc vasa ejusdem naturæ sint ac cætera quæ passim in corpore disseminantur, quis ipsa innumeros efficere gyros & alia ubique aliis intrinseci diffiteatur? Hinc plures una miscentur colores, qui innumeros alios, prout ille vel ille dominatur, oculis objiciunt. Ubi autem prædictus purpureus latex non sat magnâ vi impellitur ut solitum ingrediatur iter, jam nulla mixtio; cernitur tantùm humor albicans, seu lymphæ, quæ, utpotè globulis tenuior, minori vi indiget suos ut penetret canaliculos, hinc capillorum albedo. Quid plura de cæteris quæ miseros excruciare fenes passim cernimus? Ætatem sanè lacrimis omnibus lugendam, quæ, dùm tristissima est, remoto communi hoc fonte ex quo prædictæ omnes ærumnæ oriuntur, omnium fuisset jucundissima!

III.

FIBRAM cum Boherrhawio concipimus, quid minimum, simplicissimum, moere terrestre, ex quo totum exurgit corpus humanum. Illa si spectetur sola, vix rigiditatis capax est; at aliis juncta similibus fibram paulò majorem efficientibus, ut debilitatem & laxitatem, ita & pari rigiditatem potest. Plures novimus hujusce rigiditatis causas, quas inter eminet nimia nutritio. Hinc eadem causâ labitur & perit fibra, quâ vegetaverat. Mollis initio, facilè fluidorum cedit impulsui, elongatur, nutritiæ ipsi particulæ abundè accedunt, roboratur in dies, dùm statum, quem *consistentiæ* dicunt, fuerit adepta. Jam non crescit ampliùs, æternumque hoc in statu maneret tuta, si quantum affricu fluidorum ab ipsâ detrahitur, præcisè tantum à nutritione acciperet. At cum non solito major fiat deperditio, neque fibra in longum aut in profundum crescat ampliùs, perseverante eadem nutrimenti ratione, reliquum est ut in augmentum propriæ substantiæ augeatur. Porro hoc incremento tantillùm robustior facta, fluidis in se impingentibus majus offert obstaculum; hinc humidum particulis fibram constituentibus interpositum premitur magis, & in communem fluidorum alveum secedere cogitur; hinc arefcit fibra, major ipsi durities accedit, imminuitur illius resiliendi vis paulò minor in dies abitura, augetur rigiditas, quæ certum adepta terminum, fluidis tandem per vasa negat omninò transitum. Hinc cur varii *decidentiæ* gradus?

IV.

PLURES fibræ majores adunatæ & arctiori intricatu junctæ membranam efficiunt, quæ cavum in orbem contorta, vasculum efficit tenuissimum, vix subtilissimo liquori pervium. Id vasorum genus vasa ultima appellant, jure an injuria? Ex ultimis vasis altera exurgit membrana, quæ iterum circumvoluta vas majus constituit; nequè maxima alio nascuntur modo. Hinc, ut fibra major à minori, sic vasa majora suam à minoribus ducunt originem. At hoc discriminis intercedit, quod elementa fibræ majoris vix ulli sint morbo obnoxia, dùm vasa majora, eisdem cum suis principiis patiuntur manes. Porro posita fibrarum rigiditate, rigescunt vasa ultima, persistente eadem nutritione, vel levissimâ materiæ portione obturabitur illorum tantæ exilitatis diameter, ut ipsam oculorum aciem microscopio armatam effugiat; cito coalescent. Tum rigentibus vasorum majorum parietibus, à fluidis agrè dilatantur, imò non ita dilatantur ac antea, hinc debiliior illorum *Elater*; hinc imminuta actio in fluida, quæ, ideo solum in statu sano ad extrema usque vasculorum perveniunt, quòd tensa semel vasa propiora, sese restituendo, ipsa validissimè premant, & cogant effluere quâ via panditur. At gradus hic rigiditatis non ita formidandus, ac si vasorum membrana quædam cartilaginum indolem indueret, ut pluries, apud Anatomistas, docuit nos cadaverum inspectio; tunc enim cessat motus omnis, ingruitque mors ineluctabilis.

V.

AT quis arguet; vasa umbilicalia, citò in adultis oblitterantur & in ligamentum abeunt, nullo tamen exindè accedente morbo. Cur ergò, aut quomodo pejorem ac alia sortem experiuntur? Hæc ita decrevit ingeniosa parens natura propositos ut assequeretur fines. Nempe quâ parte ad umbilicum accedunt hæc vasa, tenuissima sunt abdominis integumenta, unde minimum irruenti sanguini renixum obtulissent; hinc morbi gravissimi. Alia sunt præterea

vasa quæ prædictorum vices gerunt. Jam verò graviditatis initio, nulla in foetu depræhenduntur ossium vestigia, cartilaginea sunt omnia. Accedente partûs tempore, paulatim duriores evadunt prædictæ partes, ita tamen ut in recens natis molles adhuc sint & ad nutum tractabiles. Crescit infantulus; paucissimisque annis elapsis, quæ vix pultis soliditatem adæquabant, tantam affecuta sunt duri-
 tiem, ut non nisi difficillimè rumpi possint. Docuit nos etiam *Autopsia apophysæ* plurimas in *Epiphyses* temporis lapsu facessere. Norunt omnes ossa innominata in adultis tribus constare partibus, junctis sibi invicem, interpositis cartilagi-
 nibus, sic tamen in ætate proventioribus conjunguntur, ut frangi facilius quàm dissociari queant. Quoties vidimus ossa duo innominata, unicum os efficere? Quas mutationes impedito liquidorum per vasa transitui deberi, nemo sapiens diffitebitur. His accuratè perspectis, cùm partes aliæ corporis non alterius sint ac ossa, conditionis, cùm eodem modo formentur, nutriantur, crescant, cum sit eadem utrobique nutritionis ratio, materies, quis nobiscum non concluderet?

Ergo, Senium à fibrarum rigiditate.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista JUMELIN.	M. Antonius-Chaumont SABA- TIER, Regis in Portu Bre- tensi Medicus.	M. Achilles - Guillelmus LE BEGUE DE PRESLE, Eques & Censor Regius.
M. Thomas LE TENNEUR.	M. Ludovicus DESBOIS DE ROCHEFORT, Eques, Scho- larum Professor designatus & Censor Regius.	M. Casar COSTE, Censor Re- gius.
M. Felix VICQ-D'AZEYR, è Regia Scientiarum Academia, Serenissimi Comitis Atrebatum Consiliarius Medicus, Regii Medicorum Collegii Nanceia- norum Socius Honorarius.	M. Joannes - Franciscus DE LALOUETTE, Eques.	M. Petrus - Joannes - Claudius MAUDUYT DE LA VA- RENNE.

Proponebat Parisiis CAROLUS-NICOLAUS BEAUVAIS DE PRÉAU, Aurelius, Bituricensis Doctor, Aurelianorum Medicorum Collegio Aggregatus, ejusdem Urbis è Regiâ Rei Agrariæ Societate, Regiæque Physices, Historiæ Naturalis & Artium Societatis Secretarius perpetuò ordinarius, Academiarum Divio-
 nensis & Rhotomagensis, nec-non Collegii Medicorum Nanceiani Socius, Censor Regius, & Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalau-
 reus, A. R. S. H. 1784.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1784.